In nomine domini amen. Ne res gestas coram regum magnificentia aboleat processus temporum, oportunum est ut eas roboret sollempnis titulus litterarum. Ea propter nos Kazimirus dei gratia Rex Polonie necnon terrarum Cracovie,
Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Pomoranieque dominus et heres, universorum noticie tam presencium quam futurorum publice profitentes declaramus. Quod attendens ad nostram et Baronum nostrorum presenciam discretus
vir Petrus dictus Zavorzek heres de Vonzchovicze sanus mente et corpore existens non compulsus nec coactus neque aliquo metu aut dolo circumventus, sed de bona et matura deliberacione sui animi, totam suam partem quam
habuit in Cimnicz cum omnibus et singulis utilitatibus, usibus, fructibus, redditibus, censibus, pratis, pascuis et universis proventibus ad eandem partem spectantibus, prout in suis metis et terminis eadem pars circumferencialiter
est distincta et limitata, cum toto iure et dominio n[illegible]ementis pro se et suis amicis et propinquis quibuslibet reservando, viro nobili domino Nicolao dicto [illegible] Sandomiriensi [illegible] de Werzing ac civi Cracoviensi pro area cum
domo et orto eidem adiacenti in magno sale civitatis que Wieliczka vulgariter nuncupatur, et pro septuaginta marcis grossorum Pragensium, quadraginta octo grossis pro marca qualibet computatis, vendidit
libereque coram nobis a se et a suis omnibus fratribus et amicis resignavit, eidem domino Nicolao et per eum suis veris heredibus et successoribus legitimis hereditarie in perpetuum tenendam, habendam, donandam, venden-
dam, commutandam ac possidendam, pro sua et suorum posterorum voluntate convertendam. Pro quo nobis preces multimodas utraque parte obtulerunt ut eandem vendicionem, empcionem et resignacionem inter
ipsos rite factam dignaremur confirmare. Nos itaque ipsorum precibus iustis et dignis favorabilius inclinati, vendicionem predictam et empcionem ratam et gratam habentes, ipsam admittimus et de mera ac
solita nostre Regie maiestatis benignitate approbamus, ratificamus et gratanter confirmamus, dantes prefato domino Nicolao et suis progenitis presentem litteram nostro Regio sigillo munitam in robur et testimo-
nium perpetue firmitatis. Actum apud Cracoviam in crastino beati Martini episcopi et confessoris. Anno domini Millesimo Tricentesimo Quadragesimo Sexto, presentibus hiis testibus nostris fidelibus videlicet
Sbigneo Cancellario Cracoviensi, Andrea Visliciensi, Johanne Radomiensi Castellanis, Henrico Sub Camerario, Wilczkone Subdapifero Sandomiriensibus, Petro Neorza Tribuno Cracoviensi ac aliis multis
fidedignis. Datum per manus domini Sbignei Cancellarii prenotati. Pribislaus autem noster Notarius hoc privilegium scripsit.

10

Copiarum [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] A. 1346

[illegible]